

Gaius Sallustius Gaio Iulio Imperatori salutem. Tibi a me scribendum erat, quod hesterno die gestum fuerat: Hortis in meis ambulavi et quiete fructus sum, quom unus ex servis meis in conspectum veniret et me certiozem faceret M. Tullium Ciceronem me ante ostium exspectare. Qui a me rogatus, num ille, quid vellet, dixisset, negavit. Itaque cum servo ad aditum hortorum hospitis accipiendi causa ii. Iam procul Ciceronem cum alio servo certantem audivi. Quom me videret, ab servo avortit. Eum salutavi amice. Dixit autem me non simulare quasi sibi bene vellem, nam me eum in opere - scis me nuper opus, quod Bellum Catilinae aut de coniuratione Catilinae nomino, scribere coepisse et ei, quoniam ea coniuratio eo consule facta est, partem scripti legendam dedisse - paene omnino praeterisse, quamquam ipse civitatem servasset. Confusus eum rogavi, quid ei videretur; quem satis saepe in opere legi. Cur, rogavit, me igitur facerem, ut et Caesar et Cato orationes longas haberent, sed non se ipsum, optimum oratorum? Nunc scivi, quae causa adcessus esset: Cicero dignitatem suam laesam habuit. Fortasse requiris, quomodo id gravissimum crimen effugerim? Facillume: Dixi eum mihi ea, quae libenter inseri vellet, mittere, optime in versibus, dein abii. Eo officio aliquod in manibus habeat, ut ceteros homines non urgeat. Quotiescumque clementiam tuam laudavi, nonnumquam puto melius fuisse, si hostibus non pepercisses. Vale.